

desinere: sed non possum. Si enim credis, mi pater, adeo nostris sensibus ac precordiis inhaesisti, ex quo non contenti tuam famam tam gloriosam, tam maximam, scriptis * me tuis intueri maluimus, cum una mihi atque hac brevis epistola * for. te e tua ardoris tantas flammis incendiisque commoverit. Unde deprecamur te, ac totam mente deprecamur, ut, quoniam gentiles ritus, te etiam legendo, ut nunquam alias, abunde affatimque contempsimus; [quanquam enim a parentibus, ab avis, & postrema usque gentis prole, Christi iura percepimus; tamen aliquotiens sensibus nostris superflua superstitionis superba vanitas inerrabat:] peto, ut etiam Confessionum libros a te perscriptos nobis mittere ac donare digneris. Si enim alii quoque prono animo ac benigna mente tua nobis scripta largiti sunt; quanto magis de tuis ipse excusare non debes! Fertur Satrapae, seu Regis potius cujusdam epistola, Deum Dominum Christum deprecantis, cum intra Judaeae regiones adhuc versaretur, & necdum in caelum suum remeaverat, quoniam is ad eum ire ac pergere per aegritudinem praepediretur, Euseb. lib. 1. hist. eccl. & sanari aliter se posse non crederet, ad se, si dignaretur, mundi salus ac medicina decurreret, & ne tanta majestati, quam ignarus Rex, providam, sed non perfectam mente, conceperat, injuria fieri videretur, laudasse in super suam dicitur civitatem, ut pulchritudine urbis & Regis hospitio Deus illectus, preces supplicis non dedignaretur. Affuit Deus Regi, sanatus est, & amplificatio petitionis munere, per epistolam, non modo salutem, ut supplici, sed etiam securitatem, ut Regi, transmisit. Jussit in super ejus urbem ab hostibus in perpetuum esse ac semper immunem. Quid his addi beneficiis potest? Ego humilis & Regum servus, a te, meo Domino, peto, ut apud istum Christum ac principem Deum quotidie pro meis peccatis intercedere ne cuncteris, ac pro me indefessus ores, ac petas, quicquid ipse volueris. Si tibi tedium adfert longa epistola mea, hoc tuae magnanimitatis patientiam moderare, & tibi imputa, quoniam ipse jussisti. Oramus tamen atque identidem deprecamur, ut iterum scribas: sic enim fiet, ut libenter suscepisse te scripta mea suspicari possimus. Deus donet nobis Beatitudinem tuam per multos annos pro nobis orantem, domine verum sancte pater. Filius noster Verimondus multum salutatur Beatitudinem tuam, qui admodum gratulatus est, quod in epistola ad nos tuae ejus mentionem fecisse dignatus es. Nescio qua medicamento ab * Arriatro, * f. Archia qui nobiscum est, accepta dedimus Zazapo, sacro presbytero, ad tuam Beatitudinem deferenda, quae, ut vir memoratus affirmat, ad allevationem doloris & morbi curationem non parum proficiet.

EPIST. * CCLXV.

* Al.
CCLXIV.

Augustini ad Darium.

M m m m m 3

Domē